

notae, systematum sectatores, enumerentur; sed sufficere ut praecipui nominentur, ii nempe qui vel systematum novitate vel apud alios auctoritate et actione eminuerunt.

2) *Objectum* hujus historiae est expositio praecipuarum philosophiarum, ita ut doceatur: — *A. genuinus sensus* systematum. Possunt autem diversa systemata obtineri iisdem methodis, possunt item diversae methodi generare eadem systemata. Unde debent ostendi: *a) nota characteristicam* cujusque philosophiae, quae plerumque desumitur ex principio primario ex quo illa exorta est; — *b) methodus* quae ordinatur plerumque juxta principium quod quaeque philosophia admittit pro fundamento cognitionum humanarum;

B. nexus systematum, quo pateat: *a)* quae elementa doctrinae alii ab aliis auctoribus deprompserint; — *b)* quae inter eosdem *dissensiones* et *varietates*; — *c)* quae fuerint *causae* illarum oppositionum (quantum fieri potest), quibusve *influxus* aliorum in alia systemata;

C. Quid quodque systema ad generalem *philosophiae progressum vel regressum* contulerit.

3) *Finis* hujus historiae: *a) proximus* est cognitio rationalis systematum philosophiae, seu notitia conatum rationis humanae ad veritatem naturalem detegendam; — *b) remotus* est cognitio et amplexus veritatis: « hoc quidem ad duo erit utile; primo quia illud quod bene dictum est ab eis (philosophis) accipiemus in adiutorium nostrum. Secundo, quia illud quod male enunciatum est, cavebimus. » (S. Thom. de anim.)

4) *Utilitas*: *a)* ornat *memoriam* notitia tentaminum et inventionum quae ingenia omnium aetatum sublimissima circa scientias rationales et morales fecerunt; — *b)* perficit *intellectum* docendo vias quibus ad veritatem pervenitur, et in via quibus in errorem inciditur; — *c)* inflammat *voluntatem* amore illius revelationis quam Deus nobis dare dignatus est, sine qua videmus ubique turpes errores propagatos esse, cum qua perniciosos omnes fuisse vitatos, veritatum autem multarum viam apertam; — *d)* refrenat *superbiam*, eorum errores et clades ostendens, qui propriae rationi individuali soli fidentes, humanam traditionem omnem ac sensum communem exsibilantes, nova sibi funditus systemata excogitare voluere.

5) *Fontes* quibus in isto historiae conspectu conscribendo uti sumus, praecipui fuerunt: *a) Ritter*, Historia philosophiae (germanice scripta); — *b) Ueberweg*, Delineatio hist. philos. (germanice); — *c) Stoekl*, Hist. phil. antiq., — med. aev., — recent. (germ.); — *d) Cousin*, Historia generalis philos. (gallice); — *e) Franck*, Dictionarium scientiarum philosophicarum (gallice); — *f) Haffner*, Delineatio hist. phil. (germ.); — *g)* non pauca ex plurimis quae apud supra laudatos citantur opera consulimus; — *h)* passim periodica recentissima variarum nationum; — *i)* ipsa philosophorum opera, saltem praecipuorum, non intelligere propria lectione, fas non erat, ut patet.

6) *Divisio* facilior et generatim admissa, ac rebus simul et temporum successioni melius accommodata est, in duas magnas partes: *A.* Historia

philosophiae ante Christum, *B.* post Christum. — Quae tamen divisio non ita intelligatur, ut ab adventus Christi anno aliquo determinato claudatur prior pars, aperiatur posterior, in toto orbe terrarum; sed ita potius ut pars una complectatur philosophiam omnem quae sit extra influxum Christianismi nata elaborataque; altera vero pars eam omnem exponat quae sub illo influxu varie sit evoluta. — Hinc patet fieri ut dum aliae scholae vel etiam integrae nationes in secundam partem cooptentur, aliae ad primam adhuc pertinere censendae sint. — Hinc etiam clare patebit quam vere voluerit Deus « instaurare omnia in Christo. »

PARS PRIMA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE ANTE CHRISTUM.

De philosophorum placitis ante Christianismi influxum, dum nempe naturalibus suae rationis viribus ac passionibus solis ducebantur homines, omnia apte possunt ad duo capita reduci:

Caput 1. De philosophia apud antiquitatis gentes religioni innexa.

Caput 2. De philosophia apud Graecos a religione distincta.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIA APUD ANTIQUITATIS GENTES RELIGIONI INNEXA.

Ordinario quidem historiam philosophiae ordiuntur auctores a Thalete et Pythagora, quia tum primum naturales veritates non permixtas religionis sive mythologicis sive revelatis reperiunt in systema redactas; at 1) ita videntur silentio negare existentiam omnis philosophicae cognitionis ante graecas lucubrationes, quod falsum est, 2) vel saltem videntur aestimare cognitiones quae non philosophorum more et apparatu exponuntur, philosophicas nullo modo dici posse, quod iterum falsum est. — Nos igitur paucis humanas cognitiones dicamus jam ab initio generis humani, deinde de singularum gentium philosophia.

ARTICULUS 1.

De primorum hominum philosophicis cognitionibus.

1° Primi homines qui terram incoluerunt, non erant simiae perfectiores, paulatim ad humanam tum corporis tum animae perfectionem et ad intellectum pervenientes, prout transformistis docere placet. Cfr. Organol. prop. 16, 17, 18; Psychol. 1, 2, 34.

2° Neque erant homines sylvestres, solivagi, plane omnium rudes et inculti, in statu illo naturali quem absurde confingunt sive Th. Hobbes, sive J. J. Rousseau. Cfr. Ethic. prop. 117.

3° Neque erant familiae vel tribus plane barbarae et incultae, sine ulla intellectus et morum formatione; sunt enim multae veritates circa vitam et ordinem moralem, religiosum, socialem, ita homini naturales et obviae, ut impossibile sit eas non facile ac brevi et generaliter ab hominibus percipi. Cfr. Logic. prop. 53, 54; Theol. nat. prop. 18; Ethic. prop. 38, 39.

4° Sed si pro theoreticis possibilitatibus et hypothesebus, potius historica facta et testimonia consulimus, positiva invenimus:

1) Ex historia antiquissima et omnium maxime authentica constat: a) jam primitus systema aliquod *morale* fuisse notum; — b) plures aliquas notiones *physices* fuisse comparatas (v. c. Cain civitatem aedificat, Tubalcain faber ferrarius et aerarius fuit, Jubal cecinit cithara et organo); — c) in *organologia* jam Adam omnia animalia et plantas proprio (apto) nomine appellat; — d) in *psychologia* noverant animam esse distinctam a corpore, eoque nobiliorrem utpote immaterialem, creatam ad imaginem Dei, immortalem, etc; — e) in *theologia naturali*, attributa Dei longe perfectius conspiciebant quam vel peritissimi graeci philosophi; — f) imo quaedam *ontologiae* principia, v. c. de tempore, de spatio degustarunt.

2) Quod artium utilium ac scientiarum cognitiones fuerint initio imperfectiores, progressu successivo amplificandae, hoc satis ex eo explicatur quod homo a Deo fuerat creatus ut operaretur ac se perficeret, et quod ad liberales artes ac beatitudinem aptior creatus homo, ad necessitates materiales ac pericula varia post peccatum ingruentia arcenda minus paratus erat, duriorique labore se protegere debuit; — sed ex his minime concludere licet etiam theoreticas cognitiones nobiliores aut nunquam fuisse acquisite, aut post peccatum fuisse penitus amissas. Eas proinde speculationes posteris ore tradebant. Atque hinc sola explicatio derivari hujus facti potest, quod *traditiones* quo antiquius assurgunt, eo puriores et sanae philosophiae conformiores sunt.

3) *Linguae* quo antiquiores eo perfectiores inveniuntur, ac proinde eo acutiorem *logicam analysim ac synthesim* produunt fuisse ab hominibus communiter factam; cfr. Psychol. prop. 47. Sed exinde sequitur a) non potuisse

intra paucas generationes tantam evolutionem produci, si supponantur primi homines plane hebetes, ignavi, sylvatici; b) viam ingenii humani, quidquid sit de theoretice possibili, historico facto certe oppositam ostendi: declinantem potius quam ascendentem in illa evolutione.

5° Ad haec posset objici, ex iisdem historicis etiam fontibus nos doceri, eas omnes cognitiones non lumine naturali et proprio conatu fuisse acquisite, sed ab ipso Deo revelante manifestatas; neque proinde eas ullo modo ad philosophiam ejusque historiam pertinere. — Sed R. 1) Quod fuerint a Deo ipso vel ab alio quovis doctore vel magistro traditae, hoc earum naturam non mutat, qua sunt veritates menti humanae proportionatae, intelligibiles, ulterius vestigabiles et evolubiles, ac dicendae philosophicae; — 2) qualescumque illae fuissent, oportet tamen in historia philosophiae eas innuisse, quia continent saltem germina et prima lineamenta sequentium doctrinarum, et quia nisi ea quae a praecessoribus posteris accipere poterant sint nota, nemo sibi rectum efformare potest conceptum de conatibus ac progressibus in philosophia posteriore, graeca et alia quavis; — 3) sunt igitur praecipuae illae notiones: a) in principio Deus solus existebat; b) Deus in tempore et libere creat mundi elementa, et ex his efformat ingentia corpora; c) terram creaturis inorganicis et organicis replet, hominemque ex anima et corpore, i. e. ex spiritu et materia efformat; d) peccatum fuit malorum omnium origo; e) Deus provide gubernat, serius ociosve punit mala, remunerat bene gesta.

6° Postquam confusione linguarum dispersi sunt populi, generalis illa primitiva una traditio coepit apud varios varie obscurari, fabulis inquinari, deperire. Unde videmus 1) quo magis populus quisque tempore et regione ab incunabilis generis humani apud Moysen relatis distat, eo magis etiam corruptas et deturpatas ejus esse traditiones; quo vero magis accedit, eo magis easdem esse puras ac primitivae similes;

2) opinionem unius supremi numinis alicujus ubique conservari, saltem apud sapientiores, etsi idololatria omnes populos (praeter Hebraeos) pervaserat. Cujus rei causae sunt: primitiva traditio vestigia relinquens, et ipsa veritatis claritas ac proportio cum mente humana;

3) philosophiam practicam prius excultam fuisse quam theoreticam; quia prius nos urget necessitas recte agendi, quam necessitas modo scientifico theoretico cognoscendi;

4) materialismum initio ignotum fuisse, nec nisi post longum saeculorum lapsum, et per violentam rationis detorsionem enatum esse; idem de scepticismo dicendum.

ARTICULUS 2.

Apud Chaldaeos.

De ista philosophia pauca tantum, eaque ex *Beroso* (a. 300 a. Ch.) novimus. Scilicet 1) fuit chaos primitivum, Dea Omorca, tenebris et aqua involutum, materia plena monstris, 2) quam Deus, Baal, dividens, ex una parte coelum, ex altera terram formavit, 3) ac lumine producto monstra fugavit (i. e. ordinem constituit), 4) ex proprio sanguine cum terra mixto animas humanas produxit. — Vestigia clarissima, licet depravata primaevae traditionis.

Erant Chaldaei astrologiae et mathematicis studiis addictissimi; itemque magiae, haruspiciis, somniis.

Viguit illa philosophia etiam post Babylonis ruinam, usque ad saecula post Christum aliqua, fere ad islamismi invasionem...

ARTICULUS 3.

Apud Persas.

Hujus philosophiae et religionis antiquissimum nobis monumentum est liber *Zendavesta*, auctoris *Zoroastri* (circa saec. VII a. Ch. quantum ex incertis et multum disputatis conicere licet). Praecipua sunt :

1) *Mythras*, principium primum, aeternum, ens a se, genuit *Ormuzd*, ens bonum, principium omnis boni, et *Ahriman*, ens initio bonum, sed ex invidia erga *Ormuzd* depravatum, et factum principium omnis mali. — *Ormuzd* adoratur sub specie luminis et ignis, *Ahriman* proponitur sub imagine serpentis.

2) Creaverunt *Ormuzd* bonos spiritus diversorum graduum, et mundum quatenus hic bonus est; *Ahriman* vero malos spiritus diversorum graduum, et mala quae in mundo sunt.

3) Anima humanae sunt boni spiritus, olim coelum cum *Ormuzd* habitantes, nunc corporibus inclusi ut contra malos spiritus certent. Quod si rite fecerint, post corporis mortem ad *Ormuzd* redibunt beati, sin autem, ad *Ahriman* detrudentur.

4) Sed in fine rerum : a) erit resurrectio hominum universalis, b) tota natura per ignem renovabitur, c) damnati purificabuntur, et in beatitudinem transibunt, d) omnia mala peribunt, solus paradisus luminosus manebit, e) *Ormuzd* et *Ahriman* reconciliabuntur, *Ahriman* cum suis omnibus boni fient (et ita perit discrimen essentielle boni et mali : cfr. *Theol. nat. prop. 22; Ethic. prop. 14, 37*).

Posterioribus temporibus invecta est apud Persas magia, astrologia, studium physices et medicinae.

Viguit illa philosophia usque ad islamismi invasiones.

ARTICULUS 4.

Apud Indos.

1° Multum, et a prima antiquitate, philosophati sunt Indi; idque ita ut tum philosophemata, tum cetera omnia, quotidiana et minima peragenda, intime connexa cum religione essent. — Fontes et monumenta apud eos inveniuntur :

1) libri sacri Brahmanorum : quatuor *Vedas* dicti, singuli plures partes habentes : preces, praecepta, et dogmata; et alius liber : *collectio legum Manu*.

2) epica poemata : *Ramajana*, auctore Valmiki, Ramae gesta canens, pauca speculativa continens; — *Mahabharata*, multa speculativa habens, praesertim episodium philosophicum : *Baghavat-Gita*; octodecim libri *Puranas*, encyclopaedica collectio, praesertim theogoniam et cosmogoniam exponens.

3) alia poemata varia, praecipue *Gita-Govinda*, lyricum; — *Sakuntala*, tragoedia, auctore Kalidasa.

4) *commentarii* plurimi in priores libros.

2° Antiquissimum dogma Indorum, apud *Vedas*, est trium divinitatum : *Indra*, seu firmamenti, *Varuni* seu noctis, et *Agni* seu ignis, ex quibus omnia sint orta.

3° Postea dogma aliter exponitur : unam esse divinitatem, *Brahma*, substantiam infinitam, indeterminatam, in qua nihil distinctum, unitas pura. Quae ex aeterno somno evigilans facta est Deus creator, et vocatur *Brahma*; sed et factus est rerum conservator, et vocatur *Vishnu*; et simul destructor ac immutator formarum, et vocatur *Shiva*. Atque haec est *Trimurti*, trinitas indica. *Vishnu* saepe in terram descendit et varie incarnatus fuit. — Ad *Brahma* omnia redire debent in unitatem; hominis ergo officium est ut ad illam unitatem per sacrificia et paenitentias, per perfectam otiosam contemplationem unitatis tendat. Quam qui non attingunt, per metempsychosim denuo incipere debent...

4° Sacram hanc doctrinam varia philosophica systemata expoliverunt.

A. Systema orthodoxum, quod nempe ad ipsos *Vedas* appellat, eis innititur, conformem doctrinam exponit, vocatur *Mimansa*; estque duplex :

1) *Karmamimansa*, auctore Djaimini, docet artem ratiocinandi libris *Vedas* applicatam; hermeneuticus potius quam philosophicus liber.

2) *Cairakamimansa*, seu *Vedanta*, potissimum philosophica collectio; cujus praecipua haec sunt :

a) quoad divinitatem : *Brahma* est unum ens, aeternum, infinitum, immutabile; — neque aliud praeter eum existere potest, nam illud esset finitum, imperfectum, mutabile, et deberet a *Brahma* esse creatum; sed hoc supponeret in eo esse principium imperfectionis, limitationis, mutationis; quae omnia in eo repugnant; ergo *Brahma* nihil creare potuit, nec praeter eum

quidquam verum est, sed mera illusio; — ergo nostri conceptus de rerum distinctione inter se, et a Brahma, sunt quasi somniantium phantasmata;

b) quoad cosmogoniam: mundus et omnia entia nihil aliud sunt, quam ipsius Brahmae evolutio et emanatio; — in ista creatione mundi, Brahma est simul activus, quia ipse producit transformationes apparentes, et passivus, nam realiter ipse transformatur, in seipso enim illas transformationes producit; — transformationes autem illae a perfectiore, seu magis infinito, indeterminato, procedunt ad minus perfectum, magis finitum, determinatum, ita ut illusio sit continuo magis determinata et intensa (scilicet ab aethere ad lumen, inde ad aerem, inde ad liquidum, ad solidum...); — et ordine inverso in Brahma revertuntur absorptione.

c) quoad hominem: anima humana est pars ipsius Brahma, cujus et aeternitatem et infinitatem participat; — haec immediate unitur invisibili subtili corpori, quo mediante unitur corpori materiali crasso; — sed haec unio pro anima malum, non bonum est, nam eam in illusionibus detinet, a perfecta contemplatione et felicitate impedit; — neque veram libertatem, nec propriam operationem habet anima, sed Brahma omnia operatur, et quidem necessario secundum dispositionem animae acquisitam (puta in aliqua vita praecedente); — hinc malum morale actionum non Brahmae sed animae imputandum est.

d) quoad ethicam: perfecta beatitudo debet esse aliquid perfecte fixum et stabile, sine ulla vicissitudine; — ista vero quies nullo labore vel opera acquiritur, neque in vita corporali potest attingi sed praeparari tantum; — consistit ergo in perfecta separatione ab omni corpore, et absorptione in unitatem Brahmae; — praeparatur autem per solam scientiam, non quidem discursivam, sed mysticam contemplationem et otiosam quietem, qua solam hanc unitatem infinitam Brahmae, illusionem omnium ceterorum, propriam identitatem cum Brahma contemplerur et intueamur; — ad hanc contemplationem homo se praeparare debet per paenitentiam et sacrificium, per meditationem et devotionem; — hinc orietur jam in hac vita quietus, in quo nullus error, quia contemplatio Brahmae, unitatis infinitae, nullam dicit singularium distinctionem et illusionem; — nec ulla ignorantia, quia cognoscit Brahmam, infinitum; — neque peccatum, nec peccandi possibilitas, nec obligatio ulla, quia haec omnia supponerent distinctionem inter justum et injustum, quae in Brahma esse nequit, et virtus ac vitium inferrent vincula moralia, quae perfectae libertati Brahmae repugnant; — nec ulla activitas, quae supponeret distinctionem agentis et patientis; — neque ulla cupiditas, qui enim infinitum possidet nihil ultra desiderat.

e) quoad eschatologiam: triplex est gradus liberationis in morte; — supremus est perfecta animae absorptio in unitatem substantiae Brahmae; — hunc gradum obtinent qui perfectam ascensum exercuerunt; — alter gradus est liberatio a corpore materiali, et accessus ad habitationem Brahmae; — manet tamen anima corpori subtili suo unita, nec proinde in Brahma absorberi

potest; — hunc gradum obtinent ascetae imperfecti; — tertius gradus eorum est qui ascensum neglexerunt, qui vel puniuntur, vel si aliqua saltem bona opera fecerunt, metempsychosim subeunt ut perfectiorem ascensum exercere possint.

B. Systemata heterodoxa, seu quae a libris Vedas discedunt, vel iis etiam contraria docent:

1) Systema *Sankhya*, auctore Kapila, dualismum docet, nempe:

a) quoad divinitatem: nihil agnoscit quod vere divinum sit, unde et apud Indos dicitur systema atheum.

b) quoad cosmologiam: omnium rerum universalitatis sunt XXV principia: 1: natura, seu secretum et omnipotens principium universae vitae, — 2: intellectus, — 3: conscientia, — 4 — 8: quinque subtiles particulae, essentiae elementorum crassiorum: lumen, sonus, sapor, odor, et tangibilitas, — 9 — 19: undecim organa sensuum et actionum: visus, auditus, gustus, odoratus, tactus, vox, manus, pedes, genitalia, excretoria, et «manas» quo ad conscientiam deferatur sensuum testimonium, atque ad organa actionum deferantur imperia conscientiae. — 20 — 24: quinque crassiora elementa: aether, aer, lumen, aqua, terra, — 25: anima, reliqua omnia cognoscens et iudicans. — Sed ex his primum, *natura*, est solum primum principium producens, evolutione quidem sui, sequentia XXIII principia; activitate autem sua res omnes alias mundanas; estque ipsum aeternum, increatum. Huic alterum primum principium, *anima*, additur, vicesimum quintum ex illis, non producens, sed mere contemplans, et cognitione sua naturam producentem dirigens; estque et ipsum aeternum, increatum. — Ad duo illa igitur principia primaria reducuntur omnia illa XXV enumerata; quorum neutrum solum aliquid potest, sed mutuo se debent complere.

c) quoad ethicam: natura est ut cognoscatur, anima ut cognoscat; sed anima cognitione imperfecta detinetur in crassa naturae materia, atque in illusionem; per scientiam perfectam agnoscit illusionem ac proinde liberatur, neque post corporis mortem ullam metempsychosim metuere debet, sed perfecte quietum otium attingit.

d) quoad eschatologiam: XIV gradus sunt perfectionis: quinque infra hominem, sextus humanus, octo supra hominem; ad supremum per veram scientiam, qua naturae illusionem anima perspiciat, pertingit; ad alios ascendit vel descendit per metempsychosim anima, pro vario vitae merito.

2) Systema *Yoga*, auctore Patandjali, ad *Sankhya* multum accedit, ab eo differt quia et Deum supremum, infinitum, aeternum agnoscit, quem cum anima identificat. Addit et praecepta practica circa media ad contemplationem et circa extasim. — Haec est eorum secta quos Graeci gymnosophistas appellant.

3) Systema *Nyaya*, auctore Gotama, tanquam medium ad veram scientiam, ac per eam ad beatitudinem, docet logicam dialecticam, sed eam satis infir-